

1537

ter Corcyrae obsidionem, in qua nihil a barbaris vel ad crudelitatem durius, vel ad avaritiam crudelius prætermissum est; Nauplii, & Epidauri urbes petite, agri vexati, Cyclades insulae, quæ Veneto parebant imperio, pene omnes occupatae: & tamen qui adjutores ad immensum hoc pondus sustinendum nobis fuere? Bellum cum potentissimo, atque immanni hoste gerendum nobis erit, cuius terrestres maritimæque vires tanta jamdiu incrementa suscepere, ut formidinem Christianis Principibus incusserint. Cur igitur de concordia cum hoste ineunda prius non decernitur? quæ si æquis conditionibus obtineri queat, quis non certam pacem difficilimo, ac periculosissimo bello antetulerit?

Ad hæc Marcus Foscarus, Consilii Sapiens: quin penes ^{Marcii Fo-} Se-
natum summa totius Reipublicæ sit, ambigere neminem; nihil subdole; aut ex composito a Collegii Patribus agi; an non Se-
natus consultum de fœdere factum fuisse? qui, cum Suleimanus a Salentinis in Corcyraeos, mutata sententia, expeditionem moliretur, Pontificem, & Cæsarem ad societatem ineundam in-
citavit; fœdusque Romæ, ac Venetiis cunctorum Christiano-
rum plausibus adversus Turcas indictum est. An modo man-
data flagitantibus minime respondendum? quæ prudenter de-
creta fuere, delenda prorsus, ac rescindenda sunt? Scilicet,
quo universum in nos tantum bellum incumbat, nullis sociis,
nullis adjutoribus cum hoste dimicemus; qui quo majoribus,
utī Gradonicus asserere visus est, viribus ntitur, ut iis ob-
sistere soli nequimus, eo magis reliquorum Principum amici-
tiam, & societatem amplecti debemus. Mirandum non esse,
si adhuc itineris longinquitate a Cæsare literæ minime acce-
ptæ fuerint. At Pontifex se in concilio kal. maji de expedi-
tione in Turcas agere instituit. Num igitur mittenda ob id
ad legatum mandata non sunt, quibus in rem Christianam
bene animato vehementiores gloriæ, atque utilitatis stimuli ad-
dantur? At Canalis literis respondendum; de pace cum Su-
leimano agendum est. Id porro Collegii quoque Patres censem-
re, ab æquis conditionibus concordie non abhorrire: verum,
quod maxime instat, id modo ut perficiatur, adnitendum.
Quis enim barbaræ genti confidat, quæ teterrimo odio in Chri-
stianos imbuta, nihil non quotidie in illorum exitium moliatu;

cujus